

homines improbos, qui emendari nequeunt, eosque nullo modo in republica ferendos esse. M. Cicero eadem sententia utitur libro officiorum tertio, ubi sic inquit: Etenim ut membra quaedam amputantur, si & ipsa sanguine & tanquam spiritu carere cœperint, & noceant reliquis: sic ista in figura hominis feritas & immanitas belluæ, à communi tanquam humanitate corporis segreganda est. Irem Claudia in Eutropium.

Ulcerata possessis alta suffusa medullis

Non leviori manu, ferro sanantur & igne.

Hic igitur divina sententia omnibus reipublicæ gubernatoribus observanda est, utpote ab ipso Iove lata, & in angusto senatu Deorum comprobata.

Ceterum & aliud observatione dignum est, quòd in hoc concilio Superi finguntur esse solliciti, de conservando cultu divino, ac Veteri, ne is intereat toto genere humano extincto. Ut patet his verbis:

Dicta Iovis pars voce probant, &c.

Ac videtur hic locus esse sumptus ex Platone, qui scribit, omnia esse condita hominum causa, homines verò Deorum causa. Deus enim vult agnosci, coli, invocari: idque significat ista sollicitudo, quam Ovidius tribuit Superis.

Est via sublimis cœlo manifesta, &c.

Aristoteles in Metaphysicis scribit, hanc esse causam, cur Poetae fingant, Deos iurare per aquam, ut cum ea sit omnium prima & antiquissima, significant nihil ducendum prius, nihil antiquius & sanctius, religione iuris iurandi.

Cuncta prius tentanda, &c.

Satyri & Fauni traduntur esse homunculi bicornes, naribus aduncis, corpore piloso, & pedibus caprinis: qui utrum sint animalia, an Dæmones, nihil quod affirmem habeo. Plutarchus in vita Syllæ scribit Satyrum fuisse captum, non longe ab Apollonia civitate Epiri, qualem Poetae & pictores effingunt; productumque ad Syllam, & per multos interpretes interrogatum, quisnam esset, edidisse quidem vocem, sed à nemine intellectam, utpote equi hinnitum capræ balatu permixtum; postea iubente Syllæ fuisse

Dii cur per
aquam iu-
rent.

Satyri &
Fauni.

fuisse